



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio II. Opinio P. Vasquez.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

subsistentiæ partialis, cum qua efficiunt personam, quando simul ununtur, ut patet in triduo, quo retinuerunt partiales uniones, quin constituerent humanam personam. in illo autem priori naturæ abstraherent à constitutione personæ, sicut abstrahunt à compositione totius. Ad secundum, respondetur Christum tunc in illo instanti reali fuisse hominem: quia in illo non fuit carentia unionis partium inter se. Nam illa prioritas naturæ non innuitur carentiæ unionis; sed ex parte obiecti tantum significat partes esse independentes ab unione, & esse causam illius, & cum hoc fundamento prius concipiuntur existere, quàm unio: in triduo autem fuit realiter carentia unionis inter corpus & animam, & sic realiter nec fuit homo, nec persona humana.

S E C T I O II.

Opinio P. Vasquez.

§. 6. **P** Vasquez disp. 37. n. 46. opinatur corpus & animam prius natura fuisse inuicem vnita, quàm Verbo. quod tribuit B. Thomæ q. 6. a. 1. hæc alleret de materia prima: *Nō enim esset assumptibilis, nisi per ordinem, quem habet ad animam rationalem, secundum quem habet, ut sit caro humana.* Quod confirmari potest ex art. 4. corpore, & ad 1. ubi ait carnem humanam sortiti esse per animam, id est, esse carnem humanam. Vnde sic argumentatur: Antequam materia assumeretur, fuit caro humana: sed esse carnem humanam habet formaliter ab unione animæ: ergo materia priusquam assumeretur, habuit unionem animæ. Quam sententiam etiam tribuit Caietan. eodem art. 1. quia censet vnā fuisse assumptionem partium ab humanitate: sed Caietanus duas constituit uniones: alteram partium secundum se; alteram totius, quod realiter distinguit à partibus & unione. Hanc secundam unionem totius dicit per se primò fieri in toto; secundariò verò in partibus prout sunt in toto. De qua unione dicit Caietanus, eam esse posteriorem animatione corporis: at verò partes secundum se prius natura fuisse assumptas, quàm inuicem vnitas, perspicue docet Caietanus art. 5. §. *Ad rationem autem ostensuam.* in quo ait immutatum fuisse naturalem ordinem, cum partes ex natura sua prius deberent inuicem vniri, quàm subsistere. S. autem Thomas ibi ait partes non fuisse assumptas prius quàm totum, loquens de prioritate temporis, ut constat ex art. 3. Vbi probat contra Origen. animam non fuisse prius creatam, nec subsistentem, quàm informauerit corpus. In quo sensu art. 4. ait nec corpus prius assumptum, quàm animatum. Ad quod affert doctrinam de vltima dispositione simul existente cum forma, ad quam disponit.

§. 7. Quod verò ad 3. ait, carnem prius secundum intellectum vniri animæ, quàm Verbo; intellige de prioritate causæ finalis, siue in intentione, ut ex ipso patet supra art. 5. prioritatem enim in executione vocauit *prioritatem secundum quid*; prioritatem verò in intentione vocauit *prioritatem simpliciter*. Quando verò art. 1. dixit materiam esse assumptibilem per ordinem ad animam; Primùm intellige de ordine intentionis; deinde, de ordine dispositionis: quia caro prius natura, quàm informetur animo rationali, dicit ordinem ad animam, qui

consistit in organicis dispositionibus, per quas animus est actus corporis physici organici potentia vitam habentis, quod de ipsa materia explicui disp. 1. de Anima: quia in illo priori vltimæ dispositionis, quo præintelligitur ante unionem, est corpus humanum organicum potentia vitam habens humanam.

§. 8. Caietan. autem art. 4. in Christi cadauere ait manere istum ordinem ad unionem ad animam per resurrectionem: in cadauere autem non retinetur unio, sed dispositiones in resurrectione seruandæ. Mentem autem S. Thomæ esse de ordine intentionis, clarissimè patet ex q. 5. art. 2. ad 2. his verbis: *Habet autem caro ab anima, quod pertineat ad humanam naturam, etiam postquam anima separatur ab ea; in quantum scilicet in carne mortua remanet ex diuina ordinatione quidam ordo resurrectionis.* Si ergo corpus mortuum insignitur voluntate Dei ad resurrectionem, & ille dicitur ordo, quo pertinet ad hominem componendum; voluntas, qua illud disponitur ad animæ unionem, non efficit in illo ordinem ad eandem compositionem: sed ipsa voluntas est ordo ipse, aut ordinatio, qua corpus ordinatur ad resurrectionem. Dispositiones autem esse ordinem corporis ad animam, docuit expressè idem S. Thomas hac q. 6. art. 4. corpore: cum enim dixisset materiam non habere hunc ordinem, antequam forma adueniat, hanc rationem reddit: *Quia simul dum aliqua materia sit propria alicuius formæ, recipit illam formam. Vnde in eodem instanti terminatur alteratio, in quo introducitur forma substantialis.* E quibus patet hunc ordinem esse vltimam dispositionem, per quam materia fit propria formæ, ad quam disponitur. hic ordo est simul cum forma ipsa: quia in eodem instanti reali, & materia vltimò disponitur, & forma introducitur.

§. 9. Ad id autem quod obijcitur: corpus non esse carnem humanam, nisi per unionem; respondetur non esse perfectè carnem humanam ante illud instans reale, in quo habet unionem animæ. Nam ante illud non erat dispositio vltimò perfecta & terminata: sicque materia erat sub alia forma: at verò eodem instanti reali, quo vltimò est terminata dispositio, materia est caro humana in actu primò proximo per organicas dispositiones prius natura existentes, quàm anima existit in ipso corpore; quæ creatur tunc à Deo cum dependentia ab vltima dispositione, non ut ab influente in animam; sed ut à conditione, sine qua non crearetur: quia creatur ut vnatur tunc, quæ unio pendet ab vltima dispositione. per quas dispositiones, quia materia est iam vltimò instructa ad recipiendam animam, & componendum hominem; iam corpus illud est humanum in actu primò proximo: nam si à Deo conseruaretur cum solis illis dispositionibus abiunctum ab omni forma; quicumque illud comprehenderet, animaduerneret illud esse ineptum cuius compositioni præter humanam.

§. 10. Et quemadmodum anima secundum se considerata est in actu primò proximo pars hominis: ita corpus cum illis organis est in actu primo pars hominis: quia cum illis aptum est componere hominem. Ordinem ita sumi à S. Thoma, iam ostendi, per quem ordinem caro est humana. Imò verò cadauera dicuntur corpora humana, & barbari dicuntur vesci carnibus humanis, quando vescuntur cadauere humano; eaque ratione vocatur anthropo-

S. Thom.
q. 6.

pophagi: quia illa corpora retinent multa hominis accidentia. Multò ergo meliùs id dicatur de corpore instructo perfectis instrumentis via generationis, quàm instrumentis dissolutis via corruptionis. Neque in hoc mysterio requiritur alius vocum vsus præter communem omnibus gentibus. Neque assumptum fuit corpus in esse carnis existentis cum alia forma, sed existentis cum anima rationali eo instanti reali: at verò in illo priori naturæ præscinditur ratione ab omni forma, ab irrationali quidem: quia in illo priori consideratur vt causa dispositiuè eam corrupens: quæ corruptio sequitur in eodem instanti reali pro secundo signo naturæ. à rationali autem præscinditur: quia consideratur in illo priori, vt vltima dispositio ad illius vnionem; quæ vnio itidem sequitur in eodem instanti reali pro secundo signo rationis.

§. 11. Secundò argumentatur P. Vasquez disp. 39. cap. 3. quia in hac assumptione seruatus est naturalis ordo quem partes habent in subsistendo: sed naturaliter non subsistunt priùs natura, quàm inuicem vniantur: ergo neque assumuntur. Minorem sæpiùs conatus est probare. Caiet. art. 1. & 5. §. Ad rationem autem ostensiuam; negat Maiorem, tum propter infinitatem personæ: tum quia in morte Christi retenta est vnio partium, & quod est vltimum in resolutione, est in executione primum. Non placet, vt ostèdi supra contra eundem Caiet. tum quia nihil fieret in opposito ordine contra infinitatem personæ: tum quia adagium illud est verum inter ea, quæ comparantur vt causa & effectus finalis. Nam finis est, qui primus amatur, & media ratione illius; at verò in executione priùs ponitur medium. In subsistentijs autem opposito modo debet contingere, quo vult Caiet. quia totum includit in se subsistentias partium: imò vna esset subsistentia partium, & totius, vel saltem vnio partialis poterat dependere ab vnione corporis & animi, tamquam à dispositione in fieri. Neganda est igitur argumenti Minor.

§. 12. Tertio arguit ex Patribus asserentibus carnem assumptam media anima, de quo egi disp. 45. à §. 9.

SECTIO III.

Questio dirempta.

§. 13. Dico Primò: Corpus priùs natura fuit vnium Verbo, quàm anima. Patet ex Caietan. supra, & S. Thoma. alioquin totum non fuisset vnium posterius, quàm partes. Hanc expressè docet P. Suarez disp. 17. sect. 2. conclus. 2. Præstò est ratio: quia priùs natura materia est subsistens, quàm vnita.

§. 14. Dico Secundò: Corpus priùs natura fuit assumptum ordine executionis, quàm anima. Ita P. Suarez supra sect. 3. conclus. 2. Videtur colligi ex Caiet. supra propter illum ordinem resolutionis, & executionis. Probatur, quia priùs natura, quàm anima creetur, intelligitur corpus vltimò dispositum: sed pro illo priori est subsistens: ergo.

SECTIO IV.

Verùm sit alia vnio ad totam humanitatem?

§. 15. S Tatuendum Primò, humanitatem in Verbo non habere vnionem hypostaticam nisi secundum eas partes, quæ in composito habent subsistentiam. ex gr. si vnio materiæ & formæ non terminatur immediatè subsistentia, neque immediatè terminabitur Verbo: si autem vnio subsistit, vt subsistit materia, assumetur eadem ratione, quæ illa. Quia in assumptione humanitatis Verbum gerit vices subsistentiæ creatæ: vt autem alicubi eas suppleat, opus est vt inde amoueat subsistentia naturalis. Item quod ex natura rei non subsistit, non est opus vt terminetur Verbo: tum quia id non potest fieri; tum quia superflua esset talis assumptio: quod enim efficere potest subsistentia naturalis partium sine subsistentia vnionis, potest efficere assumptio partium sine immediata assumptione vnionis.

§. 16. Dico igitur, vnionem non fuisse assumptam à Verbo proximè & immediatè; sed media assumptione partium inter se vnitarum. Probatur, quia vnio non terminatur subsistentia naturali immediatè. Nam subsistentiam non cognoscimus nisi per fidem: est enim nobis ignotus eius effectus, & necessitas lumine naturæ: ex fide autem tantum habemus subsistentiam conuenire naturæ: vnio autem non est natura: & sic non habemus principij illi adscribendæ subsistentiæ. Deinde subsistentia est substantia absoluta: ergo non potest esse complementum vnionis, quæ est modus substantialis. Hac de re latè egi disp. 2. Physic. sect. 8.

§. 17. P. Suarez disp. 17. sect. 5. §. Secundo modo, ait vnionem corporis & animi assumptam fuisse à Verbo immediatè & speciali vnione distincta ab vnione partium. Primò, quia aliàs non esset assumpta tota humanitas, vt est vna: quia partes humanitatis etiam collectiuè sumptæ non sunt tota humanitas: ergo. Hanc sententiam ante P. Suarez nullus docuit: quod animaduertit P. Vasquez: neque est necessaria ad hoc mysterium: nullus enim dubitauit totam humanitatem subsistere naturaliter; nec tamen dixit vllus vnionem habere subsistentiam propriam. Ad argumentum respondetur, fuisse assumptam totam vniam humanitatem: quia partes assumptæ erant in eodem instanti reali inuicem vnitæ, ex quibus partibus assumptis, & earum vnione, constituitur humanitas vna, in quo sensu assumpsit naturam vt vniam si autem illa reduplicatio significat vnitatem naturæ fuisse assumptam (vt significare videtur) respondeo non fuisse assumptam naturam vt vniam; sed naturam vniam: nam etiam Verbum assumpsit corpus organicum passibile, pulchrum atque procerum: non quòd passibilitas, pulchritudo aut proceritas fuerint immediatè assumptæ; sed quia assumptum fuit corpus eis accidentibus realiter delibutum: ergo similiter assumpta fuit natura vna: non quòd assumptio reduplicet supra vnitatem, sed supra partes habentes vnionem: imò tota humana natura est immediatè assumpta, quia præter materiam & formam non est alia natura humana.

§. 18. Dices, præter materiam & formam esse naturam humanam completam. Contrà: Non est alia